

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**D. Laurentii Heisteri Profess. Pvbl. Helmstadiensis
Academ. Caesar. Regiae Lodin. Ac Berolin. Collegae
Compendivm Anatomicvm Totam Rem Anatomicam
Brevissime Complectens**

Cvm Figvris Aeneis

Heister, Lorenz

Norimbergae, MDCCXXXII.

VD18 90513142

Widmung

urn:nbn:de:gbv:45:1-9909

VIRO AMPLISSIMO ATQUE DOCTISSIMO.
D. IOHANNI BAPTISTAE
MORGAGNIO

IN CELEBERRIMA ACADEMIA PATA-
VINA ANATOMES PROFESSORI
PRIMARIO

*ANATOMICORVM HVIVS SECVLI
FACILE PRINCIPI*

FAVTORI ATQVE AMICO SVO
AESTIMATISSMO

*COMPENDII HVIVS ANATOMICI EDITIONEM
QVARTAM*

IN AMICITIAE PERPETVAM TESSERAM
CONSECRAT
AVCTOR.



quod novam hanc , amicissime
Morgagni , eamque quartam
compendii mei in Germania e-
ditionem , nomini Tuo splendidissimo in-
scripserim , cum diuturna , suavissima at-
que constantissima , quæ a multis annis jam
inter nos intercedit necessitudo , tum quod

omnes

omnes eruditi ex doctissimis Tuis scriptis
Te hodie Principem Anatomicorum maxi-
meque idoneum rerum anatomicarum iu-
dicem, atque æquissimum earum arbitrum
agnoscant, effecerunt. Postquam enim Tu
de hisce meis laboribus, quos hucusque
in compendio meo anatomico concinnan-
do, emendando atque augendo impendi,
semper & publice & in privatis litteris ami-
cum tulisti judicium, atque ad illud ma-
gis perficiendum mihi calcar atque auxi-
lium dedisti, omni studio ac labore, quan-
tum alia mea negotia permiserunt, etiam
in hac editione id præstare annis sum: in
qua rursus multa addita et in disciplina
anatomica emendata invenies. Quæ si Ti-
bi non displicebunt, gaudebo atque cavil-
latores iniquos, qualem nuper in Gallia
chirurgum quendam expertus sum, haud
curabo: in primis cum alii eruditi omnes
hucusque labores hos meos laudarunt; vel
si quid monendum iudicarunt, ut ho-
nestos decet, monuerunt.

Vale.

Dab. Helmstadii x. Kalend.
Mart. A. MDCCXXXII.

PRAE.



PRAEFATIO AD LECTOREM.

QVAMVIS ante compendii huius editionem primam libri anatomici non defecerint, neque compendiorum anatomicorum fuerit penuria: tamen me auctum egisse non existimo, cum *hocce Compendium anatomicum* primum, & deinde aliquoties auctius atque emendatius, in manus hominum edere susceperim.

Etenim, quoniam *scientia anatomica* ita est comparata, ut, more omnium aliarum scientiarum, industria atque improbo præstantium virorum labore, *indies emendationes* & *incrementa* admittat, atque etiam nostris temporibus largissima sumserit: hincharum rerum gnaris facile erit manifestum, *in antea usitatis compendiis* & *syntagmatibus anatomicis* quam plurima deficere, quæ ab aliquo tempore a variis vel recens detecta atque inventa, vel emendata atque correcta sunt, quæque studiosæ iuventuti, & in primis tyronibus Medicinæ, scitu sunt & utilia, & necessaria.

Cum vero his valde molestum ac difficile sit, fundamenta Anatomes, & res iam cognitas, ex tam multis, eheu! libris, & quidem sæpe ingentibus ac valde prolixis, colligere aut conquirere: atque hic labor haud levem in progressu studiorum eorum ponere possit remoram, magnamque tyronibus nau-seam creare: *hoc compendio eos sublevare*, artemque effato HIPPOCRATIS, iam satis longam ac difficultem, breviorem, facilioremque reddere studi.

Recte enim suadet illustris BOYLEVS a), ut in scientiis subinde, quando large progressus, sive magna incrementa facta sunt, novum systema in lucem emit-

a) Tentam. physiolog. commentatore proœmiali.